

M I M

1 6 4 8



~~C. 6. 5~~
Ll, 2, 3.

30 B 10.

In usum Pedagogii
Regii Glauchensi

HONORI & MEMORIAE
PERPETUAE

VIRI

Clarissimi, Consultissimi atq; Excellentissimi,

DN.

CHRISTOPHORI

NEANDRI,

JCti, Philosophi &

Oratoris,

in almâ Francofurtanâ Professoris Publici
per annos LIII.

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ, atq; adeo

Academiæ universæ Senioris,

de eâdem, & optimis studijs

præclarè meriti,

piè placidèq; in fiduciâ CHRISTI Mediatoris,

inter ardentè preces &

suspiria.

3. Eid, Decembr. vesp. quadr. hor. post 6.

Anno

clō lō c XLI.

defuncti,

cùm excessisset annum ætatis LXXV.

SCRIPTÆ

à

Collegis, Amicis & Cognatis,

PARENTATIONES.

Literis MICHAELIS KOCHII

exscripta.



*Namvis nec pietas, nec virtus provida, morbis
Nec morti indomita, frana moramq; dedit:
Ipsa tamen nunquam stygias defertur in umbras;
Sed cum laude virum docta per ora volat.
Sic laudes abolere tuas, præclare NEANDER,
Haud posthac ætas invidiosa potest.*

*Quòd Sophia multà multos effeceris arte
Hactenus insignes, plurima lustra docent.
Nam qui justitiam multos docuere, perennes,
Ceu Sol, in cælis secula cuncta micant.*

Beatae memoriæ gratiâ addebat

**D. Laurentius Colasius, in illu-
stri Viadrinâ Profefs. Decretal. Publ.
& Juridicæ Facult. Ordinarius.**

G Audia nulla solo! fragili stant sorte vigentque;
Sunt inopinato quæ ruitura die.
Felix sed nimum, latâ qui mente triumphat
In DOMINO, cælum qui modò cunq; tenet.
In DOMINO Cæli consors, VIR MAGNE, triumphas,
Dum capis è facie gaudia mille DEI.
Nec quisquam invidet: Dios tibi grator honores:
Cum sanctis salve salvus, ovansq; vale.

**Melchior Polifius Med. Doct.
& Profefs. Publ.**

In Viri doctrinam.

Visenti extremum, & quid agis, COLLEGA? roganti:
Respondit: quid agam? cernis. ago ecce animam!
Nec mora, Mens Fidei atq; Precum vecta evolat alis,
Absq; metu ac motu cælica regna petens.
Ne mirere legens! Noscebat cuncta NEANDER.
Ergò agere & novit se moriens animam.

Sic roganti,
Juventutis Præceptor,
Senectutis Collega
respondit **Tobia Magiro Prof. P.**

A 2

IN



In Viri vitam.

Non modò Philosophia excellebat lingua NEANDRO,
Expressit factis optima dicta bonis.
Neve Stagiritæ in libris quæsisse salutem
Ducas, prima ipsi summæq; CHRISTUS erant.
Idem.

Quas magnas poscit sibi vita peracta NEANDRI
Laudes, excelsâ dote Poëta canat.
Quid valeat parvo mea promere vena fluente?
Sed promat quicquid promere parva queat.
Quis fuerit vivus, si quæras? dixero paucis:
Laudatæ vitæ vivida norma fuit.
Quem saturum vitæ fecit Natura NEANDRUM,
Summus & in vita Quem satiavit Honos,
Hoc nunquam Natura Viro satiata reperta est;
Hoc nunquam splendens se saturavit Honor.
Complexu Natura suo servare NEANDRUM
Vivum, vel mundi ad funera, amâisset avens:
Gloria defuncto vitam insufflare NEANDRO
Non cessat calamis non labiisq; novam.
Sic & post cineres vivus viget usq; NEANDER,
Nec tumulatus humi est, dum tumulatus humi est.
Quare vive super tumulum tumulate NEANDER,
Mox sistet reducem Te nova vita poli!

Officioso affectu & exquisito
dolore
deproperab.

M. Gottlieb Pelargus, Eloq.
Ordinarius & S. S. Th. Extraord.
Professor Publ.

Ingen

Ingenium, eloquium, prudentia, vivida mnemo,
Junctæq; doctrina, cum pietate, fides,
Rara Professoris tot dona fuere NEANDRI,
Sedulus impendit qua, Viadrina, Tibi.
Quot per lustra decem docuit, tot pectora docta,
Sit magno, dicunt, gratia magna Viro.
Memoriæ Præceptoris & Collegæ merissimī
festin. sacrab.

M. Fridericus Reichelius Prof. P

ET mihi præcipua est flendi Tua fata, NEANDER,
Causa; expressisti qui mihi mente Patrem.
Cui tutò potui, quicquid penetrare premebat
Pectoris arcani, credere & ore loqui.
Cujus aperta fuit mihi janua nocte dieq;
In rebus trepidis, Te cupiente bene.
Quippe Magister eras morum, non voce magis, quàm
Vivendo, adfectu candido, amore pio.
Ingenium sublime Tuum; dona Oris, & Artis;
Vim memorem extremum ad Spiritum ab ore datum;
Judicium in viridi, & studiis instante Senectâ,
Quanta Professori non fuit ulla data:
Hac, atq; bis germana, stylo condenda perenni
Sumant, quorum extat comptus ab arte lepes.
At me plùs quàm alios pungitq; angitq;, NEANDER,
Mors Tua: vita gravis Te sine facta mihi.
Rapta simul Tecum solatia nostra: voluptas
Colloquii ablata est cottidiana Tui.
Ad Te accedentes à Te dimittere suèras
Doctos, adjutos: nunc velut umbra fugis.
Sed rude donato quorsum interpello quietem?
Gavisum vitâ quid meliore gemo?
Necdum omnis cessit Virtus antiqua NEANDRI:
Natorum in gemino pullulat, ecce, pari.

*Qui vitæ humanæ moderaris stamina, serva
Hos Successores laude & amore Patri.
Fac functum exscribant jugi Virtute Parentem :
Fac stabili vigeant stirpe, virente VIRIS.*

*M. Georgius Melleman,
Græcæ Ling. Prof. Publ.*

N*on, nisi qui vincit, victricia ferta reportat,
Non, nisi qui luget, gaudia leta capit.
Vicisti, NEUMANNE, DEO duce, & Auspice CHRISTO,
Luxisti caros dexteritate tuos.
NEUMANNE, Ô SALVE, MANESQ; VALETE beati!
Ad Viadrum Musis Sol velut unus eras.
Ergò nunc meritò victricia ferta reportas,
Ergò nunc cœli gaudia leta capis.*

*Amico ipsis oculis præferendo, Favitori,
heu quondã desideratis., quod poteram,
non quod debebam, volebã,
per solvebam fundens æd.*

Fürstenvvaldiæ

*M. Joachimus Massovius
Pastor & Inspector.*

T*heïlogia decus, & Medicus, Themidosq; Sacerdos,
Philosophus magnus, MAGNE NEANDER eras.
Theiologus praxi, sed cognitione Machaon,
Nec non Consultus Juris, utraq; Sophus.
Scammata Marchiaci id sunt contestata Lycei,
Te quoties doctum docta tulere virum.
Ethica præteritis similes haut protulit annis
Multos, & reliquis vix habitura pares.
Non aurcis mulcebo tuas, nec inania fingam:
Illud inane foret, dedecus hocce foret,
Sed Collegarum præcellentissimus Ordo
Unanimi primas voce tibi tribuet.*

Tot

Tot tantiq; Viri, te Praeceptore, periti,
Undiq; cantabunt carmina docta tibi.
Sub calamo dictata latent quae posthuma, praelum
Si visura, tuum nomen ad astra ferent.
Quò Zephyrus, Boreas, quò terminat Auster & Eurus,
Istò pertingent Practica scripta tua:
Invidia horrendum monstrum, nì consecret ista,
Blattis, & merito fraudet bonore suo.
Utraq; sed SUBOLES obstabit CLARA Parentis,
Nec sinet in cassum scripta dedisse Patrem.
Quod superest: humus ossa tegat, sit fama perennis,
Spiritus in caelis premia carpant evans.
Hoc tibi discipulus, PRÆCEPTOR CHARE, didactron
Solvit, mnemosynon discupit esse tui.

M. Jeremias Gröffenius
Inspector Soldinensis.

EPITAPHIUM.

Occupat hoc tumulo praelari membra NEANDRI,
Fessa senectutis pondere, grata quies.
Sparsit hic ingenii in Viadrino dona Lycæo,
Monstrando mores moribus egregiis.
Extulit hunc pietas, doctrinae copia, vitæ
Integritas, virtus, eloquiumq; grave.
Sustulit hunc rursus supremo funere lethum,
Proh dolor! & tetrus vermibus esca jacet.
Sed bene habet! corpus tantum tellure sepultum est,
Ast animam non sic funebris urna premit.
Illa polo fruitur justorum sede potita,
Et capit in CHRISTI gaudia multa sinu.

In memoriam Defuncti

festinante calamo apposuit

M. Cunradus Witscheibius Ecclesiae

Regismont. Pastor & vicinarum Inspector.

Si SCHMI-

SI SCHMIDIUM deflet praclarum Leucoris alma,
HÖPFNERUM Philyre; GERHARDUM Jena; DITRICUM
Ulma; & praestantum fas est si flere Virorum
Funera, qui celebri famâ super aethera noti:
Vos Viadrinae etiam lugubria pangite Musæ
Carmina, namq; Pater, nec non auriga Lycæi
Expirat vestri; Musarum lima, NEANDER,
Illa novensilium lampas miranda Dearum
Decedit terris migrans ad sidera cæli,
Qui supera vescens aura quamplurima JOVÆ
Grata, & Pieriæ dixit percommoda turbæ:
E cujus ludo Doctorum copia major
Prodiit ecce Virum, qui Temples, & Rostra, Scholasq;
Ornant, quàm juvenum, ex illo, quem in funere Troje
Gracia sinxit, equo. Quæ nunc, quæ pectora, quæ so,
Non angat, tangat talis mortalia casus?
Damna dat indormitus nobis Mars plurima, damna
Plurima Vulcanus flagrante per oppida flammâ;
At majus damnum pretio reparabile nullo,
Cum, Pater Omnipotens quos ad fastigia honorum
Evexit, vite privantur munere, & illi,
Qui sunt Musarum sua per benefacta Parentes,
Quorum jam sterilis proventus, raraq; messis.
Tale decus fuerat, dum fata DEU SÆ sinebant,
CHRISTOPHORUS noster praclarus in arte NEANDER.
Hunc igitur meritò deflet genus omne Sororum
Castalidum; hunc deflent Cyrrhai Numina Phœbi.
Huic pietas titulum; cælum dat præmia digna.

M. Balthasar Kupfer Silesius

Francof. ad Basil, super.
Ecclesiast.

Clariss,æ

Clariss. & Consultiss.
Neandrinæ Filiorum Bigæ,
propagandæ PARENTIS famæ
benè natæ, benè educatæ,

SAL. & SOL.

Prosata Magnifico, mæstissima Biga, NEANDRO,
Orba tui decoris, luminis orba tui:

Inter tot numeros letæa nectare tinctos,

Quæis Patrius Clariâ fletur in æde Sopos:

Dat querulos numeros, velut in consortia fletûs,

Quæ de Svidniaco, Stiria-Triga, solo:

Vivat ut innumeris numeris, dignissima cedro,

Pectoris & Capitis posthuma Canities,

Ultima sume lubens nostri libamina lesûs:

Et meritos numeros; quos dare iussit Honor.

W. S.

In quo sublimis Genius, viridisq; Senectus:

Facta fuit celebris quo Viadrina Sopho:

Expirat tandem tranquillâ morte NEANDER,

Post exantlati grande laboris onus,

Vivis ac vitâ functis notissima Suada

Ejus, & Aoniis cana Volupta choris.

Si magnum meritis nomen, quod suspicit ævum,

Si videas animi, quod veneratur, opus:

Vix quod utrumq; tamen vastus complectitur Orbis;

Urna brevis tanti continet ossa Viri.

Flete Neandrinum, doctissima Corcula, Fatum:

Aut tantum, aut nullum, flete, dolete, Sophum.

Debitam

præmissi Epigrammatis

Honorificentiam

Non absq; seriâ doloris magnitudine

NEANDRINÆ

MEMORIÆ & ADOREÆ

destinabat

Wolfgangus Stirius.

Nunc

B

Nunc lacrymas Viadrina tuas Academia funde,
Acerbius plorate juvenes optimi,
Qui fuit illa tua praeiustis fama Cathedra,
Vesterq; Doctor summus ac Oraculum.

CHRISTOPHORUS nunquam non gratamente vocandus
NEANDER ille vos docere desist,
Ingenio cuius minor est, & lingua diserta,
Et penna magnifica Virum potentium,
Quo se nostra satis iactavit gloria, Mundus
Exercuit petulantius; malus, bonum.
Gloria quò major fuit, hoc fors invida major.
Tale est honorum insigne si sit premium.
Non erat ulterius toleranda licentia, merces
Cessit beato, poena vexantes manet,
In lacrymas Viadrus si totus abiret amaras,
Non lacrymarum huic luctui satis foret.
Parvula quae nostrum complexa est tumba **NEANDRUM**,
Magnum Platona continet Germaniæ,
Cui similem non ulla ferent quæ secula restant
Nostra Virum Schola, licet quamplurima.

M. Martinus Heinius.

Publicares, Virtutis bonos, Schola Marchica summa,
Luget in interitu, Magne **NEANDRE**, tuo.
Non mortem luget, quæ vita renata serena,
Musis sed luget damna data esse sacris.
Concidit heu Doctor, Censor, lux normaq; morum,
Templum Virtutis, Justitiæq; decus.
Publica cum privis magna hinc dispendia sumunt,
Indoctus cum docto ingeminatq; simul.
Ut fueras mundo, Musis & Magnus Apollo,
Salvifica Magnus cultor ut Ecclesie:

Celico-

*Cælicolas inter cæli sic incola Magnus,
Principe cum CHRISTO digna Trophæa capis:
Gloria namq; datur tibi Magna, & vita perennis,
Dum vitæ huic socius, qui tibi mortis, erat.*

M. Balthasar Lampertus, Pastor
Jacobæus & Brisensis.

Vivere posse bene, ac itidem bene posse moriri,
Ingens artis opus, prosperitatis apex,
Ab homo septifidi quid Apollinis arte laboras
Præstare, & fœdè nescius ipse Tui?
Quid, quod habent MAGNI spaciosa palatia MUNDI
Perspexisse cales, MUNDUS & ipse MINOR?
In te verte oculos; sat, quod mirere, videbis;
Imò, cui illacrumes, sat quoq; forsân erit.
Ut bene gentiles audirent, unico HONESTO
Atq; ANIMO potius nil habuère suo.
Vivere sed semet contentum haut sufficit illi,
Nomina quæ CHRISTI signaq; fronte gerit.
Scilicet est ignis fatuus sapientia Mundi,
Cum preit incautis ad loca tectâ dolis.
Qui volet ergò Sophum jactet tumido ore Lyceum,
Vel calcata sibi celsa anabathra stœas:
Nos juvat in CHRISTO veram sperare salutem:
Hanc qui sperat homo, dummodò spirat, habet.
Novit id agnovitq; piè dum vixit in Orbe
Non vana Sophia laude NEANDER ovans.
Quem non contentum caput exeruisse per artes,
Celsius humanis vidimus ire jugis.
Jam vera Sophia victurâ laude triumphat,
Qui novit CHRISTO vivere, quidq; mori.
Fortunata Anima! studij transgressa cacumen
Terreni, Sophies utere sorte nova.

B 2

Vivere

*Vivere sic bene posse, itidem bene posse moriri,
Ingens artis opus, prosperitatis Apex.*

*Sic tenuiter venerandi Senis
manibus beatissimis*

gratulatur

M. Michaël Schirmer Lips.

*P. L. C. & Gymnasii Berolin.
ConRector.*

Ausonius:

*Non quicquam sanctius habet reverentia superstitum,
quam ut amissorum venerabiliter recordetur.*

*SIC tandem ad plures fama est abyssus NEANDRUM,
Quò prius ORIGANUS, SCHÖSSERUS, & ille CALEBUS
Migravit, Logicà Vir præstantissimus arte;
Quos Præceptores quondam, juvenilibus annis,
MARCHIA concessit; quos nunc mea grandior ætas
Miratur; dolet & terris hos fata negasse.*

*Sic est! sic Parcarum punct sua fila! nec Ille,
Elysia Phoenix gentis, decus omne, PELARGUS,
Post varios superat casus, & vescitur aurâ.
Scilicet hac rerum facies; ab origine primâ
Finis adest; celsi petimus subsellia cæli,
PETRUS ubi & PAULUS fulgent, magnusq; LUTHERUS.*

*Ossa sed & cineres nostri salvet NEANDRI;
Expectate Diem: requiescite: tempore certo,
Illa superveniet, quæ non sperabitur hora.*

*Tu quoq; prima meis studiis Academia salve;
Salve celsa domus; Viadrina Academia salve:
Civem agnosce tuum. Collapsi RECTOR Olympi,
Integret, ædificet, conservet sceptrâ Lycæi.*

*Musæ adsint porrò: sua proferat organa Apollo,
Dum mare volvit aquas; steterit dum MARCHICA tellus;*

Aus

*Aut Viadrum dum piscis habet, stantq̄ alta BUDORGIS
Maenia, dum spectat Boreamq̄, SABOTHUS ab Austro.*

Memoriam hanc reverentiæ & gratitudinis ergo
Præceptori suo magno ponebat

Godefridus Wagner Vratislav.

Ædis D. Elisab. Gymnasiiq̄, quod
ibid. Cantor & Collega primarius:
Muneris sui Scholastici Anno 33.

Ætatis 60.

ITe, MEI, exsequias procedite; funera nunquam
Majoris dabitur posse videre Viri:

*Vox fuit hac Hostis quondam generosa, celebrat
dum Roma inferias, Æmiliane, tuas.*

Scilicet aëriis velut Acroceraunia cedunt
ictibus, hoc virtus fulminis instar habet.

*Vos Academia Proceres, vosq̄ incluta Phæbo
Corda, Viadrina docta corona Scholæ,*

*Vos quoq̄, Justa Viro facitis, quo doctior, & quo
Major Athenæo laut conspiciendus erat.*

*Sive etenim erueret causas & nomina rerum
Noster, vel Momo iudice, Magnus erat.*

*Seu calidum celfo cathedra de ponte Sophisma
solveret hic, eodem iudice, Magnus erat.*

*Magnus erat seu jura sacra geminata Themistos
diceret, aut Coum volveret Hippocratem;*

*Magnus, acutorum seu scita reperta Sophorum,
Quæ menti aut mori velificantur, erat.*

Maximus hinc meritò lætus, majorq̄: relinquat

TE nisi, Te Vatem, Magne MAGIRE, parem;

Socratis sui Manes honore extremo
prosecuturus,

apposuit συμπάγων

Johannes Gebhardus Habelswerdâ SiL.

B 3

Et Te

Et Te, Clare Virum Musa canet mea,
ô vita Aönidum, Pieridum decus,
ô sacrum senium, flos profitentium
artes ingenuas, gloria posthuma.

Certè Sarmatidum si colerem nives,
aut Parthus, biberem Tigridis alveos,
aut velis Ararim puppeq; finderem
lætus, justa tamen tristia solverem.

O si fata dedissent tegere hunc Virum,
ornassem tumulum frondibus aureis,
cinxissem loculum, quem diademate
Virtus promeruit, promeruit Senex.

Sit vobis requies organa Tullij,
Hyblæis latebris os varium vale;
Satis vestro officio: Musa canet mea
donec vos videam, vivus, in æthere.

ex animo f.

Jacobus Ebertus Rector
Scholæ Bescov.

Ad requiem certam venisti Magne NEANDER,
Magnus eras terris major erisq; polo.
Esuriunt Musa passim: sed flebile tempus
Viciisti Jovâ, graculor ergo tibi.
Mente tuâ certè pollebas, Maxime Phœnix
Doctorum, semper laus tua magna manet.
Dum Docti terris fulgebunt, Fama NEANDRI
CHRISTOPHORI nostri laude manebit, ave!
Barbara gens regnat, ploro, nunc undiq; Mula
Nos Musa sumus hic! Barbara gens abeat.
Ingenio micuit Franefurti nobile sidus
Atq; NEANDRI mens docta simul, fateor.
Vir sincerus erat, nec mens simulata reperta est
CHRISTOPHORO in nostro, laus micat & manet hac.
Hanc movitur, famâ ast terrarum vivit in orbe,
Quem vis ingenij Musaq; laude vebunt.

Te vis



*Te vis doctrina ornavit, Defuncte NEANDER,
Francfurti ad Viadrum, Mens tua lausq; manent.
Mors tua vita tua est Præcellentissime Doctor,
Est anima in cælo jam tua sancta, Vale.*

incerens fac.

Paulus Thavmasius Collega
Scholæ Elisabethanæ ap. Vratisl.

CUM me, qua Viadris Academia claret ab undis,
Excoleret Musis Francovadana suis:
Ut presens vivum venerandâ fronte NEANDRUM,
Et celebrem colui, cordis in æde, Senem:
Sic ego nunc-absens, fatali lege citatum
Macto, tam charum, laudis honore, Caput.
Et meritò. mentis prudentis agalma merebat:
Et Charitum in vultu nobilis ordo trium.
Hoc os poscebat, de quo facundia fluxit:
Ad cuius tacuit Tullia lingua decus.
Quid, quod Virtutis suadebat ad òrea, testis
,, Vita pia ante DEUM, Fama bona ante homines.
Nec non adfectu stillantia scripta jubebant,
Candida nix animi qua mihi scripta dedit:
Ejus, quando mea fieret pars credita cura,
Post Martis victas, Bibliotheca, minas.
Mallem alio, quàm luctifluis, depromere grates
Officioq; simul, servitioq; simul:
Et si non alio: tamen hoc magis augmine lesus
Ex animi in tumulo corporis ossa rigo.
At quorsum lacryma singultibus undiq; mista?
Mens fruitur Summo, venerat undè, Bono.
Sancte Senex, pulchram laurus induite coronam,
In nostro vives pectore Sancte Senex!
Castiga gemitus, chartâ quos indice profers,
Orba Silesiaco, Francovadana, Sopho.

Tug

*Tuq; Neandrinæ stirps ô lectissima laudis,
Cordivoris etiam questibus adde modum.
Non est amissus, præmissus ad aethera, vivit:
Hic ubi post obitûs vita renata sibi est.
Hic ubi cœlestes Academia cœlica sedes,
Pandit & aternos vera Sophia libros.
Quisquis in hoc Mundo sic philosophatur, Olympum
Ut non amittat, qui beat, ille Sophos.*

Tumulum

SENIS HUIUS MERITISSIMI

ultimo laudum cumulo

honorare

ut voluit ita debuit

Georgius Stirius.

QVI Stiriis favit calamo, qui pectoris imo:
Non faveat Tanto Stiria-Triga Viro?
Et mea Fraternalis se jungit Musa Camenis:
Et favet, extremis, perpete laude, rogis.
Postulat istud honor, quem debet, postulat istud
Fama Neandrini-non moritura-Senis.
Non talem quavis producent secla NEANDRUM,
Qualem habuit Viadra magna Cathedra domûs.
Flete Silesiaci tristissima Numina Pindi:
Flete, NEANDER obit; flete, Silesus obit.
Quàm plures vellet fletûs! sed cogitur ipso
Singultu fletûs rumpere Musa suos.

Magnum Virum

NEANDRUM

observantissimo hoc affectu

Merito plangebatur

Ernestus Fridericus Stirius.

In beatum

In beatum ex hac vitâ discessum,

EXCELLENTISSIMI

VIRI

Dn. CHRISTOPHORI NEANDRI, P.P. &c.

Elegiæ scriptæ

ab

Ejus

Sororis filijs mœrentibus.

Aure velim surdâ Venerande fuisse NEANDER,
Cum mihi fama obitum diceret aspra tuum.
Obstupui, rignitq; gelu mihi pectus acerbo,
Et gravis extemplo mœror adedit idem.
Lugeo te merito Clarissime Avuncule planctu,
Multa mihi tecum nam periëre bona.
Tu mihi suppetias verbis factisq; tulisti,
Accepta ut referam plurima jure tibi:
Cujus ego gratis lecto mensaq; fruebar,
Cum studiis operam te moderante darem.
Quantum illud Mæcenatum penuriâ in istâ?
Nempe mihi magni muneris instar erat.
Quod mihi formâsti mentem, celebrande Magister,
Artibus erudiens instituensq; bonis.
Meq; manu pressum duxisti ad templa Minervæ,
Efficiens faciles dexteritate vias.
Id longè majus, majoreq; laude vebendum,
Hoc ego me totum debeo jure tibi:
Debeo, non potui quicquam persolvere vivo,
Præter gratum animum, qui satis unus erat.
Compenset benefacta tibi DEUS æthere in alto,
Visio te cujus nunc peramœna beat.

f.

Gregorius Mollerus Crosnensis,

Ecclesiæ & Scholæ patriæ Cantor.

Ⓢ

Cum

rius.

tum



Cum passim robur vesana licentia morum
 Sumeret, officiis nec suus esset bonos:
 Sed vitiis potius decerni præmia vulgò
 Inciperent, priscus sensim & abire pudor.
 Indignans sanctâ plenus gravitate NEANDER,
 Amplius in terris ergò morabor? ait.
 Seda lubricitas mores ubi calcat honestos,
 Barbariem stomacho tam patiente feram?
 Rerum ubi vis potitur, leges & jura triumphans,
 Ac pietas pœnam cogitur alma pati.
 Ingenuaq; jacent spreta sine honoribus artes,
 Omnis qua causa sunt scatebraq; boni.
 Patria monstrosis ubi fervet terra figuris,
 Africa ceu nostris incubuisset agris.
 Hac ut ego tacitus patiar? non siverit atas,
 Innocuis atas moribus acta mihi.
 Hactenus in Furias felicibus ivimus armis,
 Qua justo victa Marte dedere manus.
 Acrius incumbunt armata Numinis irâ,
 Vindicat ingrati quod malefacta soli,
 Ut frustra adversum Virtus humana laboret.
 Poscitur ad pœnas patria mœsta graves.
 Quin properè ingratis adeò me subtrabo terris?
 Ne crucient oculos talia porrò senis.
 Ecquis enim vitam cupiat Virtute sepultâ &
 Morte parentari cui propiore decet.
 Dixit, & emitti se carcere corporis agra
 Percupiens, adiit voce precante DEUM.
 Audit, & mortali aniraum compage solutum
 Rex cœli ad superos jussit adire choros.
 Cum dicto Astræâ cœlum comitante petivit,
 Sidus ubi aurato prænitet orbe novum.

Se propter



*Se propter spaci Virgo concessit abunde,
A quo se meminit ritè pieq̄, coli.
Tecum, sancte Senex, esquis feliciter actum
Ambigat, atberia civis in urbe DEI?
Gaudia Pacis ubi vera tranquilla perennant:
Nos agimur variis hic ferimurq̄, malis.
Quanquam igitur meritò Viadrina ACADEMIA luget,
Perdidit ut qua se magnum obeunte decus,
CROSNAḠ, cui lucem tituli splendore dedisti,
Que fuit exortu nobilitata tuo,
Et quicumq̄, locus placidas amplectitur artes,
Quò tua se pennâ prapete fama tulit:
Tu plausu potiùs tamen excipiendus honore,
Nì damnum nobis mors tua grande daret.*

Doctõri & Promotori suo fac.

M. Joannes Mollerus.

* * * * *
Ecce, quid hoc? tumulum certant abolere NEANDRI
Castalides, quarum Mysta fidelis erat.
Tantane mansuetis sedet ira furorq̄, puellis,
Manibus ut cupiant bella movere Viri,
A quo se cultas studio meminere perenni,
Indignum visum est hasce referre vices.
Audite hæc animis illa, qui cernitis, æquis,
Ajunt, ne savas esse putate deas.
De nobis meruit bene præclareq̄, NEANDER,
Qui nostri Vindex semper honoris erat.
Hac sibi Mortales poni monumenta laborent:
Mors nihil in Nostrum pallida juris habet.
Docta per ora virum volitat superatq̄, NEANDER,
Cumq̄, sitis planè nil habet ille rei.
At Mausolèum, quod non abolere vetustas
Ulla potest, scriptis condidit ipse sibi.

C 2

Que




*Qua nostrum sapiunt nectar Charitumq; leporem,
Æternum vivunt hæc monumenta Senis.*

*Doctorem concors vox flagitat ista Virorum,
In laudem Soboles profer honora PATRIS.*

Idem.

MENS stupet, (ehem!) lingua silet, tacitiq; recessus
Fibrarum Fati tristia jura tremunt.
Illicet! occubuit Clarissimus arte NEANDER,
Qui mihi Cognatus quiq; Patronus erat,
Clara Professorum socios experta labores
Ereptum cathedra morte Corona dolet.
Nomina Marchiaco sacra qui dixere Lycæo,
Plangunt, queis Doctor semper honorus erat,
Egregias cultis tradens sermonibus artes,
Que verum possunt conciliare decus.
Natorum lacrimas acres Viduæq; dolores
Pingere Timantbes non queat ipse sagax.
Pectora nos quoq; quos genuit Germana, nepotes
Percutimus, tepido lumina rore madent,
Sic pubes Phæbi morum est orbata Magistro,
Doctoremq; cadit fida columna choro.
Sed me destituit Patroni cura fidelis,
In dubiis portus qui mihi rebus erat.
Mens tamen ô tristis nimium compeisce dolorem,
Qui moritur, lacrimis non revocatur humo.
Imminet illa dies, hominum quæ corpora surgent,
Ungvibus, ô lethum, dilaniata tuis.
Ipsus reddetur nobis, reddemur & ipsi,
Igni cum mundi hoc dissoluëtur opus.

Christophorus Mollerus
Scholæ Fürstenvvald.
ConRector.



Carmen Elegiacum quod scripsi Joanni Baptista Gebelio
Svidnic. Silesio Pastori Ecclae in Raciborow.

cum praedum Magistrum nancisceret Decano
M. Theodoro Berto 17 Calend. Maij
A. 624. aetate meae 19.

Ita bonis avibus GEBELI, quos Deus Autor,
Cui te fata vocant, ita bonis avibus.

Magnum opus adgrederis, sed, quod tibi cine fultus
Numinis atberei, fortiter expedies.

Ambuet orantis linguam locuplete Suada,

SPIRITUS Orator caelicus ille, tuam.

Seminium disperge **DEI** per cordium agellos:

Nec sine mole preces, aut sine fruge, dato.

Et vineta **DEI** assiduo accubudq; labore

Percole, quo fructus mille, supraq; ferant:

BAPTISTAM ex cathedra **BAPTISTA** imitare tonantem

GEBELI! vera pro pietate puta:

Instrue non-doctos, errantes corrige, fractos

Erige, confuta dogmata vera minus.

Sic vivente volent tecum partizier annos

Prospera dicentes quos sacra dicta feres.

Sublatiq; olim manibus, sine pondere terram

Manibus optabunt, (sed bene sero) tuis,

Cum tuba te rupta tumba revocabit ab umbris,

IOVA, mei pastor dicet, adesto, gregis;

Ambrosia rursus te pascam & nectare; quare

Magna cape astrati pramia, carpe, poli.

Hoc penitis animi penetrabilibus opto, precorq;

JANE mihi multo n nomine care! **VACE.**

ULB Halle

3

002 062 674



Inches

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow








Red

Magenta

White

3/Color

Black



& MEMORIAE
PETUAE

UIRI

ssimi atq; Excellentissimi,
DN.

OPHORI

NDRI,

ilosophi &

ratoris,

tanâ Professoris Publici
nos LIII.

is Philosophicæ, atq; adeò
universæ Senioris,

& optimis studijs

arè meriti,

â CHRISTI Mediatoris,

lentes preces &

spira

esp. quadr. hor, post 6.

Anno

10 c XLI.

efuncti,

annum ætatis LXXV.

RIPTÆ

â

nicis & Cognatis,

TATIONES.

MAELIS KOCHII

scripta,

139

109